

**Daquin, Pierre - candidat / Saint-Yon,
Antoine de - président. - Est-ne
praecox canities vitae longioris
Argumentum ?**

1673.

***Paris : Ex Typographia
Francisci Muguet, Regis &
Illustrissimi Archiepiscopi
Typographi, viâ Citharae
Cote : ms 2322 n°181***



QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM;

Die Jovis 12. Januarij.

M. ANTONIO DE SAINT-YON

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

Est-ne præcox canities vitæ longioris Argumentum?

I.

MIRABILI feminis & sanguinis materni contextu natura jactat hominis fundamenta, molem atque spiritum. Vitam omnem calori & humori credidit; hic, illum, ne fugam faciat grata vinctum compede detinet: à quo vicissim ne quid, putredine vel concretione, vitij capiat, prohibetur. Priores partes ignis habet, tantum copiam, nitore, vividamque motione in viventibus excellens, quantum anima munis est & pluribus & præstantioribus nobilior. Id adeo homo est non solum animalium calidissimus; sed & ad pulchrius, diutiusque vivendum paratissimus. Mortalium idem ortus, vitæ color diversus, lapsus ad interitum varius: plane ut flumina, certo, sed inæquali pede feruntur in mare; sic ad orcum singuli. Ævo tamen extento victurus ille est, cujus spiritus non erunt ad absumentum corpus comparati, sed substantiâ densi, calore pertinaces, motu sedati, non alacres, non subsultorij nec uberiores, quam functionibus obeundis inculpate satis sit; humor integer, pinguis, viscidus, aëris maxime, nihil aquæ particeps, liberali manu partibus, ubi vitæ domicilia resident, affusus. At ille contra plurimo mactatus infortunio, brevi spatiò longam refecare spem debet.

tum cum rerum ad sui generationem pertinentium iniquitate ; calor modò imbecillior modo ferocior , legumque naturæ contortor factus , ejus rationes turbat , & siccitate ad deteriorem partem applicante bona dilapidat , helluatur , perdit.

II.

DA M N O S A quâque die nihil non imminuente , malôque primorum corporum dolô , fit intima hominis mutatio , morti quotidie propior ; per se quidem obscura , suis tamen vestigiis aperta. Ex quâlibet ætate semper aliquid novi apportante , nec æquè citò vel lente , ab omnibus percurrendâ , derivari consuevere signa , tum in corpus , tum in mentem , datâ , quid indè sequatur , conjiciendi potestate. Neque annorum numero , neque natalis astri (nihil quidem efficacis) contemplatione , sed virium robore , & imbecillitate , summam vitæ longinquam vel brevem fore judicandum. Quin etiam venit indoles parentum , matris præcipuè , cujus similiores liberi vivaciores , discutienda ; tum agendi consuetudo , corporis filum , magnitudo , exiguitas potius optanda ; præ cæteris pilorum conditio in pluribus , magis tamen in colore prodigialiter vario reposita. Quemadmodum terræ ingenium , surgente gramine detegitur ; itidem & vitalis fundi bonitas atque vitiositas , villis hinc & illinc in parvulo & adolescente pubescentibus : tum etiam succorum per vasa discurrentium ratio : quin-imò animi mores quolibet alio efficacius exhibent. Membra hispida & per dura , setæ brachia atrocem animum ; tenues , molles , humanum , mansuetumque promittunt ingenium. Pili , quid solo subsit , quidve rerum naturæ Deus humanæ genius agat , liquidis in cute coloribus depingunt : genis optatus honos cum venit , lanugo , ephæbusque molli veste induitur , hisce flosculis suam dat fidem , se propè diem fructum allaturum , genitali aurâ , quâ mox virgines tepebunt , jam nunc spirante.

III.

CO R P U S universum uno similique sanguine in vaporem tenuato alitur. Quod habet siccioris pinguiorisque fuliginis , in concipientem & comprehendentem cutim , si ceciderit , actis radicibus , captôque germanâ nutritione incrementô , itinere modò rectô , modò flexuosô repens formatur in pilum , loci quem vestit , ornamentum & tutelam ; ipsi sic insitum ; ut inde seu plantæ parasiticæ succo vivat alieno , & foveatur ; longe densiori proditurus examine , veneris luctâ solutô corpore , haudquaquàm tamen seminis è toto , fictô allapsu ; fumo temporis progressu firmiore ; calore demum ex illuvie , qua sepultus erat , emergente. Sua cuique cum sit humorum moles , proprius etiam est pili color , ejusdem proprius corporis habitus , alio atque aliô tempore diversus. Cum primùm oritur tenuis , mollis , albicans ; ubi crevit , crassior , durior , colore saturatior ; quæ summa habet ad absolutionem perductus , simul ac senescit , minuenda : qua in re

3
pabuli, plantarij temperiem & caloris in piceo halitu laborantis artem imitatur. Crassa sanguinis exhalatio multo vapore penitus mixto perfusa, acriori igne perusta, ducitur in crinem, nigro colore splendentem, sed celeriori canitie fædandum; in viris, animi corporisque firmioris argumentum; in mulieribus, ut fælicioris fœcunditatis, sic & majoris ad liberos faustis sub penetralibus nutriendos capacitatis: ob id, quàm multa injusta, ac prava faciunt moribus, quæ, quod sibi laudi est, flavo abscondunt corymbio, fucomeherculè, fatuo; tenuis, diluta, jamque micans in flavum, nescio quid tenerum, molleque præseferentem, ut quid asperum, venenique simillimum si in rufum abierit; monstrum vero totum ex fraude & mendacio factum; si crine ruber, ore niger homo fuerit.

I V.

PILIS non semper idem honos est, calvitie, nivibus, nonnunquam & plicâ deturpari solitis. Non omnibus æque citò canities obrepit: celerius in capite, tardius in mento, axillis, pube, ubi perpetuò madore, arteriarum vomitione, illuc dejecto, villi diutius vident irrigati. Albescunt, vel cum statim nascendo, vel corpore fædâ vitilagine corrupto, ignavo sanguine inquinantur; vel cum pridem exorti, superatis jam aliquot annis, nativò colore deposito, fiunt manentque candidi. Hæc canities proprie audit, quasi pili, non semper hominis senectus. Edaces curæ, vehementior animi ægritudo, nihil non mali concinnans, ex corvo hominem subito cygnum reddunt. Paulatim idque præmaturè perpastum corpus, continua laxatum voluptate, crudum, labore liberum, fractum venere, & assidua meditatione cerebrum; halituofo, quo aluntur hæc cutis plantæ, spiritus ad situm & congelationem proclivitas, marcor, exolutio; frequentius ad hæc succi pinguioris simul cum intercepto aëre concreti, à tenui, densò tamen & aquæ finitimò humore (unde pilorum floridus color) repurgatio, in crassis nigrioribusque capillis, quorum rarior, solutiorque compages est, calidò humidòque arvò insitis, factu facilior; ac quemadmodum folia alibili humore plena grata viriditate ridet, vacua non quidem oleosò, tunc tenaciore minusque elutò, pallent in multos menses imò & annos duratura; atque etià cera, lintea atrò colore sordidata, pluribus percussò & expulsò tenui liquore solibus redduntur eximio candore pretiosa modò haud absimili nigrum aliumve pili adolescentis colorem, torrente non amplius calore, imò longè sese suaviorem præbente canities excipit.

V.

NE te maceres, neve naturam incuses quasi novercam, si canities præcox, tibi nec inopino niveum caput fecerit, modò tamen nullis crucibus, quæ, vix dici potest, quantam fenestram ad senium patefaciunt, inducta fuerit, nullaque tum morum, cum functionum depravatione. Invisâ profectò, quæ gratarum artium faciem pror-

4

sus delet, quæque calvitio, ære rotundo lævius caput exhibente fibris rugosæ cutis, siccoribus, mortis jam à tergo venientis minacibus stipata incedit, sine dubiò naturalis ignis jam nimium extenuati fugam partium contractione, duritie, & ariditate significatam explicans, exaggeratis in locum succis vel acrioribus, vel plus justò frigidis atque concretis; quorum malignè nutrientium appulsu, vitiatis radicibus, tristi colore vestita sæpius decidunt humani capitolij ornamenta; suo casu identidem quanta sit inusta vitæ fulcris ruina, quanta sit etiam liquoris gratiosi paupertas demonstratura. Flocci facienda verò, aut potius existimanda seu longioris vitæ arrhabo, nonnullis jam ad sæculum & ultrà perductis ab ineunte juventute relicta canities, hæc ubi abfuerint vitia. Quippe tunc mitior æquabiliorve calor redditus, dies, quos acrior ante solebat adimere, post-hac apponer, probaturus non amplius tot humores excrementitios serò & aquâ multis etiam partibus adultis refertos idcirco ad putredinem paratioris subesse; multoque magis cum corpus solidum, succi plenum, verò colore, eleganti habitudine ornatum, nec etiã solita munera respuens, pabuli densioris, viscidioris, contumacioris, locupletem penum apud se reconditum habere testatur; cui abliguriendo, nonnisi decursò longò annorum spatio par erit edax rerum omnium spiritus.

Ergo præcox canities vitæ longioris Argumentum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus Geuël. M. Antonius Ioannes Morand. M. Paulus Courtois, Pharmacia Professor, & Professor Regius.
M. Petrus Cressé. M. Alexander Michael Denyau, M. Guillelmus Petit. Professor Regius.
M. Petrus le Large, M. Claudius de Frades. M. Rolandus Merlet.
Lustanorum Regina Medicus primarius.

Proponebat Lutetiæ PETRUS D'AQUIN,
 Parisinus. A. R. S. H. MDCLXXIII.

P A R I S I I S,
 Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis &
 Illustrissimi Archiepiscopi Typographi, viâ Citharæ.